

VRATISLAVS DOMINVS A BERNSTEIN.



V Ratislaus Dobischauensis ex optima Bernsteiniorum familia natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Is cum literas utcunq; degustasset, animum ad bellica studia adiecit, & rei militaris magnam notitiam acquisiuit. Id cum Cesar intellexisset, eum ob rerum usum plurimum dilexit, & aurei uelleris equitem constituit. Postea quoq; Maximilianus rex eum Magistrum equitum creauit, & inter consiliarios adoptatum suum Camerae esse iussit. In his functionibus administrandis Vratislaus erat diligentissimus, nihilq; intermittebat, quod ad corporis aut animi uirtutes illustrandas pertinere uideretur. Itaq; sibi magnum nomen comparauit, & cunctis gratissimus fuit. Cum etiam Maximilianus 1562 Francko fortis Cesar designaretur, ipse Vratislaus praesens interfuit, & in Cesareo comitatu plurimum emicuit. Anon,